



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digr. 40. De theoretico & practico, ad tex. com. 149.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

(nihil enim est in natura, quod propter aliquem finem non agat) sed quod nullum extra se & præter actionem suam habeat: solam quippè veritatis cognitionem: quarit & bonum suum in se continet: vbi practicus aliud quidpiam præter actionem suam spectat, & ideo alicuius gratia, quod scilicet extra ipsum sit, ratiocinari dicitur. Itaque quod Aristotelem, ait Philoponus, intellectum hunc solum dixisse alicuius gratia esse, vulgi & idiotarum hominum opinionem sequitur, qui Philosophos contemplationi deditos in eaque sola occupatos appellant otiosos, quod contemplationis ille finis intus lateat: minimè credendum est. Namque in tam graui seriæque ac subtili quæstione cum idiotis hominibus loquendum non erat. Spectauit potius id, quod intellectus practici proprium est ac peculiare, vt præter cognitionem habeat extra se externum etiam finem, bonum agendum. Audi quid in secundo Metaphysic. libro textu 3, idem ipse loquatur Philosophus optimus verborum suorum interpres. Theoretica, inquit, Philosophiæ finis est veritas, practicæ autem opus. Etenim si vt se habent considerant, non causam per se, hoc est vt cognoscant, sed ad aliquid, hoc est vt quidpiam agant, practici contemplantur. Fabri & Geometræ exemplum adfert in primo de moribus ad Nicom. cap. 7. quorum vterque rectum considerat angulum, sed alter quatenus vile ad opus est, alter sola cognitione contentus, quid & cuiusmodi sit peruestigat. Et nunc practicus, inquit, intellectus alicuius gratia ratiocinatur, hoc est in ratiocinando solum non est illi propositus finis, sicut Theoretico, sed aliquid aliud querit, bonum scilicet agendum.

Habitum intellectus diuisio.

Hinc scita illa scientiarum atque habituum intellectus diuisio in Theoreticos, qui sola rerum cognitione ac contemplatione intellectum ornant, & practicos, qui præter cognitionem aliud quidpiam spectant. Quod quia duplex esse potest, aut immanens actio, vt voluntatis electio, aut foras in externam transiens materiam & aliquod opus producens, vt scriptio: cognitio practica in sexto Metaph. libro textu primo, in actiuam diuiditur, quæ totius nomine *πραξις* dicitur, & effectiuam, quæ *ποιησις* vocatur. Actiua prudentiam comprehendit & moralem omnino scientiam, quæ solius cognitionis gratia non est, sed vt boni efficiamur moreque nostros & actiones ex recte rationis præscripto instituiamus, vt est in secundo de moribus cap. 2. & effectiua cunctas artes. Ita totus perficitur homo, intellectus, cognitione rerum varia & multiplici, voluntas, prudenti electione virtutumque plurimarum suppellectili prætiosa, operationes demum externæ artium omnium preceptis. Sicigitur ex fine tum illius cognitio aut habitus, tum Philosophia aut Scientia, tum veritas ipsa, quam intellectus cognoscendo querit, aut Theoretica dicuntur, aut practica, aut etiam effectiua.

DIGRESSIO XL.

De Theoretico & practico.

Tria in homine facultatum genera.

Verum hæc paulò accuratius examinanda sunt. Ergò tria sunt in homine facultatum genera,

A quedam cognoscentes, intellectus & sensus, alie appetentes, voluntas & appetitus sentiens, alie demum exequentes, vt motrix. Mirro nunc cognitionem & appetitum sensus, velut hominis non proprias, sed cum bestijs communes. In reliquis hic ordo cernitur, vt primum intellectus cognoscat, deinde appetat voluntas, tum exequatur motrix. Propterea intellectus vocatur facultas Theoretica, hoc est cognoscens quemadmodum in tex. 21. lib. 2. De intellectu autem & Theoretica facultate. *κατανοητικὴ* namque cognoscere est & contemplari. Reliquæ practicæ, quod in actione versantur. *πραξις* enim est actio. Verum cum Theoriam conlita operationem significare solius intellectus propriam: eam videlicet, quæ præstantissima est solamque habet veritatis cognitionem, ac per se expetitur velut propria intellectus perfectio, nec alio quoquam refertur: diuina prorsus operatio, vt vox ipsa significat.

De praxi maior disputatio, non tam inter veteres peripateticos, quam inter Posteriores nostros Theologos. Nos verò eam accipimus operationem significare facultatis alterius ab intellectu diuerse: quippè intellectus non est agere, sed quid agendum sit cognoscere actionique præmonstrare viam. Accursum significare operationem, quæ in nostra sit potestate ac dirigi à recta ratione possit: alioqui practicam intellectus cognitionem non diceremus eam, quæ ad pacem dirigendam conferretur. Quare naturales ac necessaria vegetantes actiones hoc loco non commemorantur. Propriæ ac per se actio humana est voluntatis elicitæ, quam electionem vocamus: quoniam ea per se est libera siue sit circa finem, siue circa media. Est enim circa vltimum finem volendi ac nolendi libertatem non habet, quam contrarietatis appellant Scholæ, habet tamen volendi & non volendi, hoc est sustinendi actum, quæ contradictionis libertas dicitur. Secundo autem loco & participatione quadam actionem omnem à voluntate facultatibus cæteris imperatam appellamus praxim: quoniam actiones hæc vt participatione dicuntur liberæ quatenus libero subsunt voluntatis imperio; ita & actiones humanæ præterque vocantur: & verò actio intellectus quoad exercitium temporisque & modum, quo fieri debet aut non fieri.

Iam quoniam quod liberum est atque in determinatum ad plura, errare facile potest, dilectione indiget; sola voluntatis electio per se libera est actio: hæc igitur sola per se apta est dirigi; per eamque actiones cæteræ, quæ illic subsunt, libertatis quoquo modoparticipes. Quare cum directio & regula primum & per se electionem respiciat voluntatis; vbi recta ratio intelligendum esse præscribit, aut scribendum, vel ambulandum; per se primum voluntati præscribit, vt intellectum imperet intellectui, vel scriptio manu, ambulatio nempe pedum aut motrici virtuti. Nunquam enim intellectus aut facultatis alterius actio ita dirigitur, vt huius sit vel illius natura; quemadmodum actio voluntatis vt bona sit aut mala: sed solum vt promatur, vel non promatur fiat aut non fiat. Tribusque prorsus modis dirigitur, tum præscribendo tempus, tum ponendo modum, tum verò constituendo finem. Est non omnes has directiones suscipiant actiones omnes: sed quedam sunt, quæ non admittant modum, vt videre, audire, & id genus alie facultatum earum, quæ necessariò & quantum possunt operantur. Sic

Sicigitur partiamur actiones. Theoria solius intellectus est propria: praxis vero facultatis alterius ab intellectu distincta: quae si per se apta sit à ratione dirigi, proprie praxis est; haec est voluntatis actio. Si non per se, sed ut voluntati subest, minus proprie & participatione duntaxat praxis appellatur, huiusmodi est ceterarum virtutum actio. Porro praxim proprie significare actionem ab intellectu diversam, testatur illud Aristotelis practicum à theoretico differre sine: & rursum illud, practicum referri ad opus. Unde illud perculgatum in scholis; intellectum fieri practicum extensione; dum non in sola cognitione sua consistit, sed ad aliud, ad alterius inquam facultatis actum dirigendum progreditur. Intelligentus autem est finis intrinsecus ipsius cognitionis seu habitus; ut vnus sit cognitio sola, alterius operatio. Non item finis hominis cognoscentis aut habentis habitum: quoniam hic est planè extrinsecus nec refert quidquam, quis nam sit nobis finis propositus.

Praxis proprie est participatio

Cognitio theoretica & practica qua

Practica est duplex

Theoretici & practici origo prima

nem quoque facultatis alterius queunt. Hinc verò non pauca prorsus intelligas.

Primum theoreticum & practicum, seu theoreticum, actiuum & effectiuum, differentias esse essentialis aut modos potius intrinsecos cognitionis obiecti proprii intellectus. Proprie differentias non dixerim; quoniam vt ens practicum & synonymam naturam non significat, quae contrahenda per differentias sit, sed seipso immediate descendit per intrinsecos modos ad hoc & illud ens illius vna esse nequit cognoscibilis ratio, quae abstrahat à theoretica & practica. Quidquid enim est cognoscibile, vel est cognoscibile propter se, vel non propter se, sed propter aliud: aut vel propter actionem aliquam; vel non propter illam, sed propter se: vtrius autem modo contradictio est, quae nullum admittit medium. Nullum item ens practicum fuerit medium inter actiuum & effectiuum; nulla cognoscibilis ratio practica, quae ab actiua & effectiua abstrahatur. Quia inter immanentem & transeuntem actionem; seu inter actionem, quae post se nihil relinquat; & eam, quae relinquat aliquid, medium non est.

Theoreticum & practicum essentialis modi

Cognitioem entis rei aut theoreticam aut practicam esse

Cognitio nulla simul theoretica & practica

Cognitio de theoretica & practica per prius et posterius dicitur

In Theoretico & practico cuius entis distinctio fit

Cuius item intellectus

Secundo, nullam esse posse cognitionem entis rei proprii intellectus obiecti, quae aut theoretica non sit, aut practica; quippe cognitionis conditio petitur ex obiecto. Quare generalis omnino est cognitionis diuisio in theoreticam & practicam, seu in theoreticam, actiuam, & effectiuam: quae tum ex fine petitur, tum maxime ex obiecto; Ea quoque ad scientiam quoque descendit, vt scientia quaedam est illius entis cognitio. Essentiales namque differentiae modivè intrinseci ita diuidunt genus, siue synonymum, siue omonymum, vt medium nihil relinquat. Eandem ob causam nulla potest esse cognitio, quae formaliter sit tum theoretica tum practica. Siquidem oppositae & contradicentes differentiae in distinctas & oppositas species distrahunt genus, neque simul esse possunt. Quare quod aliqui graues aliqui dixerit Theologi, lacram Theologiam neque theoreticam esse neque practica sed effectiuam: aut quod alij, esse formaliter tum theoreticam tum practica probare non possunt. Sed aut partim formaliter theoreticam dixerim partim practicam; si pluribus distinctis habitibus scientiae consentiant si vna simplici qualitate, neutrum eam formaliter esse, sed eminenter vtrumque; quale est illius obiectum Deus.

Tertio, eodem modo, quo ens, cognitionem quoque de theoretica & practica dici: hoc est analogice & per prius & posterius: prius inquam de theoretica, quae propter se quaritur velut intellectus perfectio in se ipso; posterius de practica, quae ad aliud & facultates intellectu posteriores refertur. Prius item de actiua, quam de effectiua; quod illa voluntatem respiciat, cuius propria est praxis; haec facultates ceteras, quae non nisi à voluntate participaram habent.

Quarto, diuisionem entis in theoreticum & practicum non esse entis generalissimè sumpti, quod ens rei & rationis comprehendit; sed solius entis rei, quod proprium est intellectus obiectum. Quippe entis rationis cognitio nec propter se queritur, nec ad agendum quidpiam, sed solum ad intellectus actiones in entis rei cognitione dirigendas confert.

Quinto, diuisionem intellectus in theoreticum & practicum illius esse intellectus, qui circa ens rei proprium ipsius obiectum versatur. Eum vero, qui circa ens rationis occupatur, nec theoreticum esse nec practicum, sed organicum ad eum iuuandum,

YYYY iij

qui entis realis cognitionem theoreticus erit aut practicus.

Sexto posse habitum practicum in eo quoque subiecto esse, quod practice nequeat operari. Cum enim practicum ex obiecto petatur & sine ipsius intrinseco, quo suapte natura & conditione directius est praxeos; in quocumque tandem subiecto ponatur eiusmodi habitus, practicus semper erit: quia & circa illud obiectum veritatur, & siue in eodem, siue in alio subiecto, aptus est dirigere praxim: estq. ex accidenti, si in eodem re ipsa non dirigit. Nam in separata mente qualis nam tandem fuerit prudentie habitus, nisi sit practicus? Et in homine is, quo vnus homo potest alium dirigere, modumque illis prescribere operandi? Non enim practicus habitus dicitur, quod operetur, sed quod aptus sit, vel recta ratione dirigi, vel actionem dirigere, que sit praxis: siue in eo ipso, in quo est, dirigit, siue in alio. Nam & qui virtutum cognitionem perdisceret sola cognitione contentus, cognitionem tamen haberet practicam, quia etsi nunquam illa esset vsurus, ea tamen esset apta praxim secundum rectam rationem dirigere.

Septimo, ita optime omnino prouisum homini omni ex parte fuisse: vt facultates illius natura imperfecte errorique obnoxie dirigentur atque vindicarentur a culpa. Dirigere autem cognoscentis est munus: intellectum igitur, qui cognoscentis facultas est, tum se ipsum, tum ceteras omnes, oportet dirigere: se ipsum, tum in ea cognitione, que propria est ipsius perfectio, tum in ea, qua ceteris debet subsidium ferre, dirigi instrumentis illis, que ex entis rationis cognitione. Suppeditat logica: que propterea scientiarum omnium, tum theoreticarum, tum practicarum generale instrumentum appellatur. Facultates vero aliud alias habitibus practicis acquisitis, scientia mortali, prudentia, & arte, duobus prioribus voluntatem, postremo ceteras. Et ideo hi habitus dicuntur practici, quod ad praxim dirigendam referantur: magis tamen scientia moralis & prudentia, que voluntatis actiones spectant, que per se sunt praxes, quam ars, que imperatas, quas participatione praxes esse possumus. Ita vnus est dirigens, intellectus, duplexque directio, tum sui ipsius, tum aliorum, ac totidem directarum facultatum genera. Et cum duplex item cognitio sit ad dirigendum necessaria, altera modi operandi, altera materie & obiecti, circa quod facultates eę versantur: vtraque ad intellectum theoreticamque facultatem pertinet: quare is, tum cognoscentis est, tum dirigens facultates ceterę vt cognitione carent, sic directione solū illius sequuntur. Quo etiā sit, vt in theoretica facultate cognitio proprię obiecti propria sit illius operatio: at practicarum operatio distincta est a cognitione quia cognitio, tum obiecti modi operandi earū, ad theoreticam pertinet facultatem, si nō vt theoretica est, certe vt facultatum ceterarum directrix. Inde tandem intellectus theoreticus, & practicus, quatenus vel in propria sua operatione quiescit, vel ad ceteras facultates dirigendas progreditur. Petiturque hęc diuisio ex intima ipsius intellectus vi, qua vt est facultas cognoscentis, tum aptus est ipse obiectum contemplari sum, tum ceteras facultates dirigere. Rursum in theoretica facultate proprię obiecti cognitio ad nullam operationem refertur, sed ipsa est facultatis illius operatio: cognitio vero modi operandi

Theoretico & practico totum hominem optime gubernari.

In homine enim vnus dirigens, & duplex directio, & quomodo.

In theoretica & practica cognitio nis directione.

operationem quidem aliam spectat, sed facultatis eiusdem circa suum obiectum: neque illius est vt & obiecti & modi operandi cognitio ad actionem facultatis practice operationem ab vtraque illa cognitione diuersam. Præterea in theoretica modi operandi cognitio, tum proprię illius operationis, tum ceteris omnibus facultatibus, vtilis est: quoniam omnes cognitione, que theoreticę proprie existit, dirigi debent. Conferretque cognitionem obiecti & modi operandi earum: est primaria intentione proprię theoreticę operationem respiciat. At in practicis cognitio modi operandi ad propriam duntaxat illarum operationem confert, vt prudentia & ars ad actiones voluntatis ceterarumque facultatum, que voluntati subsunt. Theoreticę facultatis non item; nisi fortasse interdum vt est practica & in actu exercitio parat voluntati & dirigitur a prudentia. Quin etiam in theoretica, cognitio modi & cognitio obiecti duas efficiunt operationes: tum quod altera ad alteram refertur, altera nequaquam, sed ipsa sit facultatis illius operatio; cognitioque obiecti cognitionis modi exultat finit, tum quod illa cognoscendo quoque modo & obiecto aliarum facultatum vsui est; hac in se ipsa consistit nec alio quoquam refertur. In practicis autem & modi obiecti cognitio vnica est: quoniam vtraque ad operationem confertur atque ad practice facultatis actionem dirigendam, vt videre est in prudentia & arte. Cognoscere namque agendi modum & actionem, que fieri debet, eadem est prudentie cognitio: & rursus cognoscere modum efficiendi quidpiam & materiam aptam, ex qua efficiatur haud magno opere in arte differunt. Accedit ad hoc, quod in theoretica operandi modi cognitio non est illius facultatis perfectio propria. Propria siquidem facultatis cuiusque perfectio operatio illa censetur esse, que illam in se perficit, non propter aliam facultatis cuiusdem operationem. Quemadmodum cognitio illa refertur ad aliam intellectus eiusdem actionem dirigendam, qua in sui obiecti comprehensione versatur; vereque perficitur, vel in se ipso, si vt theoreticus operetur: ensque cognoscat theoreticum; vel in ordine ad aliam facultatem, si aliarum director operetur: ensque practicum cognoscat. In practicis modi quidem & obiecti cognitio theoreticę facultatis perfectio est: vt est practicarum directrix; quia refertur ad operationem extra ipsam, non ad aliam illius ipsius actionem alia tamen præter eam cognitionem operatio est practicarum facultatum propria, que illarum perfectio sit.

Ex quibus omnibus duo tandem intelligas. Alterum; tria in intellectu distinguenda esse cognitio-nis genera. Vna est cognitio proprię obiecti vt in intellectu theoretica facultas est: eaq. theoretica est, quod propter se ipsam quaratur. Altera cognitio-nis modi & obiecti practicarum facultate: que illi conuenit vt sua cognitione dirigere facultates nō cognoscentes potest: hęcq. est practica, quia refertur ad actionem extra intellectū, que nominatur praxis. Tertia cognitio-nis modi operandi ipsius intellectus, quo prior duplex cognitio dirigitur: hęcq. nec theoretica est, nec practica; quoniam nec propter solā quęritur cognitionem, nec refertur ad dirigendā operationem, quę sit praxis; sed ad alias intellectus actiones, non vt voluntati

In obiecto o-gnitione

Ex quo

voluntati quoad exercitium subsunt & praxeos quoquo modo participes esse possunt; sed secundum suam naturam: Non inquam ut bonè esse queunt aut malè, hocque tempore fieri aut non fieri, propter hunc illumvè finem; sed ut bonè vel malè, verè aut cum errore, effici possunt. Quomodo libertatis nullam, & idè nec praxeos speciem habent, sed theorie potius. Quare et si proprie nec theoretica sit, nec practica cognitio; sed organica, tum theoreticis, tum practicis cognitionibus feruens (quam ob causam ab Aristotele & Peripateticis Philosophiæ ac scientiarum ὄργανον vocatur) ad theoretici tamen magis quàm practici, naturam accedit. Verè tamen & theoretica & practica cognitione prior: ceu que ad utramque comparandam intellectum dirigat & promoueat.

Alterum, quem ex his cognitionibus Philosophiæ pars ponenda sit. Siuè enim Philosophia intellectus perfectionem circa proprium obiectum, siue cognitionè veritatis significet; priora duo duntaxat cognitionis genera comprehendit, quibus & veritatis omnis, tum theoreticæ, tum practicæ, & vniuersi entis, quod intellectus obiectum est, cognitio continetur: atque intellectus perficitur, tum in se ut facultas theoretica est, tum ut ceterarum facultatum non cognoscentiū directiū existit: totūque homo comparatur quàm optime, tum ad intelligendum, tum ad agendum. Tertium cognitio- nis genus non partem, sed organum Philosophiæ totius Peripateticis veteres, Alexander, Ammonius, Simplicius, ac Philoponus appellarunt. Tresque in partes Philosophiam vniuersam tribuerunt; in theoreticam, quæ naturalem, transnaturalem, & Mathematicam contemplationem habet; actiuam, quæ ethicam, æconomicam, & politicam continet; demum effectiuam, quæ artes omnes complectitur.

TEXTVS.

Kai ἡ ὀρεξις ἀνεστὶ τῆς ψυχῆς, οὗ ἴσθ' ἡ ὀρεξις αὐτῆς, ἀλλ' ἡ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ἐπιστήμης.

Atq. appetitus omnis alicuius gratia. Cuius enim appetitus hic, principium practici intellectus. Vltimum vero, principium actionis.

COMMENTARIVS CL.

DE intellectu dixit. Iam de appetitu, qui alterum motus principium nominatus fuit. Hic quoq. alicuius gratia est, siue inq. spectat quempiam; & appetitus omnis rei cuiuspiam consequendæ aut fugiendæ appetitus est. Hoc vtrique commune. Nam ut intellectus practicus alicuius gratia ratiocinatur, sic appetitus alicuius gratia appetit, omnisque appetitus motum in aliud significat. Ille agendum quidpiam suadet, hic illud ipsum consequi appetit aut fugere: inde ad consequendum aut fugiendum mouemur. Id ipsum enim, quod appetitur, practici quoq. intellectus principium existit: nempe actio agendum vè quidpiam & appetendum, quod & ratiocinandi principium fuit intellectui & appetendi est appetitus. Hoc namque intellectui propositum mouet eum ad ratiocinandum, moxq. appetitum ad appetendum. At dum ratiocinationis motui succedit alter exequutionis, quo ad agendum & procurandum id impellimur, quod intellectus agendum persuasit appetitūque appetitij;

A hic priori profus reperitur oppositus; atq. id quod primum fuit in intentione ratiocinationisq. & appetitionis principium; in exequutione iam aut etiã assequutione est vltimum. A fine quippe ceu bono cognito ac desiderato sollicitatus intellectus ratiocinatur & inquit media, quibus consequi finem possumus req. appetita potiri: at dum ad agendum & exequendum descendimus, a procurandis medijs principium facimus, per eaq. ad finem progredimur. Prior motus est ab appetitu finis ad inuentionem mediorum; posterior a mediorum vsu ad consequutionem finis. Quod de boni consequutione dixi, idem intelligas de fuga mali. Coniunguntur autem vbiq. duo hæc principia, intellectus & appetitus: Nam & in priori motu prima omnium est boni maliuè cognitio. Nisi enim intellectus cognosceret, non appeteret appetitus: ac rursus nisi hic appeteret, nequaquam ille de consequutione ratiocinaretur. Et in posteriori quoq. nisi & cognitio dirigeret & appetitio vrgeret, omnis exequutionis labor non susciperetur. Quare vbi vltimum dicitur esse actionis principium; vltimi appellatione significatur, id in quod practica desinit ratiocinatio. Finis nãq. principiu est inquisitionis & media ratiocinanda inuèta principium actionis existunt. exemplo libuit Philopono ac Simplicio rem planiorem facere. Estate quispiam calorem solis aut hyeme frigus perlentens tegumentum desiderat, quo aut solis radij, aut nauim, pluuiarum ventorum arceantur iniuria: tandem opus aggrediens a fundamentis incipit, atque in tectum operimentumque desinit.

TEXTVS.

Ἐστὶ δὲ λόγος τοῦ ὄργανου καθ' ἑαυτὸν καὶ κινουμένου, ὀρεξις δὲ ἀνεστὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ἐπιστήμης, καὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ἐπιστήμης, καὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ἐπιστήμης, καὶ τῆς ἀρετῆς καὶ τῆς ἐπιστήμης.

D Quocirca rationi consentaneè duo hæc videntur momenta, appetitus & dianæa practica. Appetituum enim mouet, & propter hoc dianæa mouet, quoniam huius principium est appetituum. Nam & phantasia quando mouet, non mouet absque appetitu.

COMMENTARIVS CLII.

Quem hætenus practicum intellectum nominauit, practicum nunc dianæam appellat. Vt manifestum sit, id quod sepius in superioribus adnotauimus, Dianæam ad intellectum pertinere illiūq. ratiocinationem significare. Nam & sermo erat de intellectu, qui propositio sibi appetibili sine ratiocinatur circa media, quibus is obtineri queat. Considera, inquit Philoponus, quod practicum intellectum Dianæam appellauit practicum. Themistius autem in his Philosophum arbitratur ex appetitu & intellectu, quorum vtrumq. mouere dixerat, velut vnam progressionis & incessus animalium conciliare atque absoluerè causam. At Simplicius præferri appetitum intellectui arbitratur, potioreque motus causam iudicari. Quoniam et si vterque moueat primum tamen appetitus mouet, deinde sequitur motus, hoc est ratiocinationis, quo queritur quemadmodum appetibile consequamur. Nam & proximè superioribus verbis appetibile dictum est principium esse practici intellectus;

Dianæa quid.

Appetitum magis, què intellectu, mouere.

& nunc id quasi planius exponens, appetituum inquit mouet, & idcirco diuina mouet, quoniam principium eius est appetituum. Idem euenit phantasiae, quae velut intellectus quidam posita est atq; in bestiis & vero persepe in homine intellectu torpente principium existit motus. Namq; ne haec quidem absq; appetitu, sed ex illo profus excitata & impulsu mouet. Itaq; appetitus cognitione vbiq; antecedit & velut illius principium est: siue cognitio intellectus sit siue phantasia. Nam etsi appetitus in incognitum non moueatur; ideòq; necessarium semper sit cognitionem antecedere appetitionem: practica tamen cognitio non fuerit, quae ad motum inducat, nisi appetitus antea excitetur. Sed & cognitio ad prosequendum vel fugiendum indeterminata est, perq; appetitum determinari eam oportet, antequam hoc vel illo moueat motu. Deniq; persepe fit, vt intelligentes atq; imaginantes non moueamur, quod appetitus non moueat: appetitus autem & sine intellectu mouet, vt in incontinente; & semper mouet, nisi à ratione alioue affectu coërceatur.

Quod autem S. Thomas haec non de appetitu, sed de appetibili, interpretatur; appetibile inquam esse primum, quod mouet, quia ipsum ab intellectu consideratum & phantasiae representatum mouet: atq; ita quae duo dicebantur mouentia, reduci ad vnum, scilicet ad appetibile: mirari satis non possunt. Tum quia non appetibile, sed appetitum, *ὁρετικὸν*, quod appetendi facultate praeditum est, ait Philosophus. Tum quia appetibile mouet vt finis: at d nunc queritur, quod vt efficiens mouet; vbi de facultatibus animae, non de rebus, circa quas ea versentur, disputatur. Quod si non de efficiente, sed de fine item sit sermo; sanè cum & appetitus & intellectus rei appetite gratia moueat, vnum est principium mouens primum nemp; res appetita.

TEXTVS.

Εἰ δὴ τὸ κινεῖν ἀποφύγει τὸ ὁρετικόν. εἰ δὲ δὴ οὐ, τότε καὶ ὁρετικὸς κινεῖται. καὶ καίτοι αὐτὸ ἐκείνου κινεῖται καὶ δὲ ὁ κινεῖται οὐ σαφῆς ἐστὶν αὐτὸ ὁρετικὸς ἢ τὸ βούλητικὸς ὁρετικὸς. ὅταν δὲ καὶ τὸ λογιστικὸν κινεῖται, ἢ καὶ τὸ βούλητικὸν κινεῖται. ἢ δὲ ὁρετικὸς κινεῖται ὡς τὸ λογιστικόν. ἢ τὸ βούλητικὸν ὡς ὁρετικὸς ἢ ὡς βούλητικόν.

Tex. 50. Vnam igitur quidpiam mouens primum, id quod appetit. Si namque duo, intellectus & appetitus mouerent, secundum communem aliquam speciem mouerent. Jam vero intellectus quidem non videtur mouere sine appetitu. Voluntas enim appetitus. Cum autem per ratiocinationem mouetur, per voluntatem item mouetur. Atque appetitus praeter ratiocinationem mouet. Etenim concupiscentia appetitus quidam est.

COMMENTARIVS CLII.

Hae superiorem interpretationem confirmant magis. Etenim eodem spectant, vt mouente duplici posito, intellectu & appetitu, appetitum ostendat potiores in mouendo tenere partes. Sed à facultate ad actum, à motu potestate ad motum actum, ab appetituo ad appetens iam transit. Prius namq; *ὁρετικὸς* dixit, nunc autem *ὁρετικόν*. Illud significat id, quod appetere potest facultatem que habet appetendi; hoc vero id, quod actu appetit: et si utroq; modo Simplicius legi posse significet. Si

Appetitū magis quam intellectū mouet.

A tamen *ὁρετικόν* legatur, pro eo, quod actu appetit, accipiendum esse; quod inquam est appetendum & appetens. Vt enim scientia actu & scibile idem sunt, ita & appetens actu & appetibile: quae vt intellectus intelligendo fit res intellecta, sic appetitus appetendo euadit res appetita. At opposito modo: res siquidem intellecta ht similitudinem intelligenti, at appetitus appetitae potius rei euadit similitudo. Appetituum igitur moueri potest, appetitus autem actu re ipsa mouet. Et quidem primum.

Cuius dum probationem subiungit, manifeste ostendit se in hac propositione appetitum vniuersum nominasse, vt rationalem & irrationalem, intelligentem & sentientem comprehendit: mox vero in parte accipi, vbi duo addit mouere, intellectum & appetitum. Probatio enim eiusmodi est. Duo prorsus sunt principia mouentia, intellectus & appetitus sentiens: quippe alter continentem mouet, alter incontinentem, vt antea dicebatur: aliquid igitur esse oportet vtriq; commune, intellectus & sentit, ratione cuius ambo vim habeant mouendi. Nam vbi communis esse effectus plurium causarum, continentem quoq; vim in illis inesse oportet, qua effectum eundem producant: alioqui quatenus diuersa sunt, diuersa prorsus efficerent. Iam vero cōmunis, tum intellectui, tum sensui, vis est appetitus: siquidem non solum in sensu est irrationalis appetitus concupiscentiae, sed & in intellectu rationalis viget appetitus, qui voluntatis dicitur: atque vt concupiscentia motus incontinens, sic continens voluntate. Si ergo intellectus & sensus huiusmodi vim habeat ab appetitu, potiores in mouendo partes obriuet appetitus, qui ceteris auctor est vt mouere possint. Scitum enim illud est; Quod ceteris causa est, vt talia sint, magis illud est tale: & illud; Primum in vnoquoque genere causa est ceterorum: licetq; reciprocare. Quod est ceterorum causa, primum in illo genere est. Itaq; princeps motus causa est appetitus, cuius est proficui aut fugere, cupere aut auerfari: cognitio secundaria & vt Simplicius loquitur, tanquam adiuuans appetitum; hoc est velut conditio, sine qua non moueretur appetitus: non enim mouet nisi ad obiectum cognitum.

Porro appetitus tum genus vniuersum significatum speciem quandam, que generis nomen retinet. Genus vniuersum; vbi dicitur (vnum igitur quidpiam mouens primum id, quod appetit) & trinum (intellectus non videtur mouere sine appetitu, voluntas enim appetitus) & iterum (appetitus praeter ratiocinationem mouet: etenim concupiscentia appetitus quidam est. Speciem autem; hoc est appetitum sentientem; vbi legimus) si namque duo, intellectus & appetitus, mouerent.

E Vbi vero sensum diximus mouendi principium esse, phantasia intelligas, quam & Philosophus mouere dixerat: & velut intellectus alter mouet, tum hominem persepe, tum bestias semper. Duplicem autem appetitum, rationalem vnum & intelligentem, alter irrationale & sentientem, obiectuabis Philosophum cognouisse. Quid enim aliud quam rationalem appetitum sonat illud. Cum per ratiocinationem mouetur, per voluntatem mouetur: rationalis igitur appetitus voluntas est, irrationalem vero significant illa (arqui appetitus praeter ratiocinationem mouet; hucque concupiscentia est). Quam ob causam bis Themistius voluntatem inculcat appetitum intelligentem esse & appetitum mentis.

Ceterum

Ceterum duo minus proba. Alterum; quod intellectum & appetitum non vt duas, sed vt vnum motus causam poni contendat. Cum non hoc agat Philosophus, sed vt alteram altera potiore esse ostendat. Alterum quod appetitum & voluntatem in intellectu velut illius speciem putet contineri; ideoque diuersam non facere mouentem causam. Quod tantum abest a vero, vt genere prorsus distinguantur. Si quidem appetitum in 2. lib. aliud positum est facultatis genus ab intellectu diuersum; quod obiectum diuersum genere sit, verum & bonum, intellectibile & appetibile. Hoc vero loco Philosophus voluntatem quidem affirmat cum intellectu coniunctam esse, sicut concupiscentia cum sensu; quoniam cognitionem vtramque appetitio sequitur obiecti cogniti. At non intellectus, sed appetitus speciem esse; appetitumque vniuersum in rationalem & irrationalem, in intelligentem & sentientem, in voluntatem & concupiscentiam diuidi.

Porro in lib. quidem de animalium motu cap. 3. plura principia mouentia posuit, dianam, phantasiam, electionem, voluntatem, & concupiscentiam; omnia tamen ad intellectum & appetitum reduxit, phantasiam & sensum ad intellectum, quod iudicandi vim habeant omnia; voluntatem autem, iram & concupiscentiam appetitus quosdam esse; electionem demum dianam & appetitus communem esse. Omninoque motum vbique voluit cognitione & appetitu constare, & vtrumque aut sentientis partis aut intelligentis esse posse.

TEXTVS.

Νοῦς ἴσθ' οὐδ' πᾶς ὁ πάθος ἔστιν. ὁ πρῶτος δὲ τὸ φάντασμα ἐστὶν ὁρῶν ἐν ὁρῶν.

tex. 57. Intellectus igitur omnis rectus est. Appetitus autem & phantasia tum recta tum non recta.

COMMENTARIVS CLIII.

Quoniam plura posuit mouentia principia, intellectum & appetitum, & rursum phantasiam dixit velut intellectum quendam esse; hæc accuratè magis distinguit; quidque inter illa interfit, exponit. Intereit autem, quod intellectus semper est rectus. Quod de primorum principiorum intellectu libuit Sancto Thomæ interpretari: vt enim in theoreticis, ita & in practicis non erramus vnquam circa prima principia. Quippe vt semper verum est illud; De quolibet affirmare licet vel negare, ita & hoc. Nulli nocendum esse, Nihil iniuste agendum; Maius bonum minori auteponendum, Ex duobus malis minus eligendum, & similia. Quare erroris causa non est intellectus, sed phantasia & appetitus, quorum impulsu, dum ratiocinamur, sub veris principijs propositiones sumimus falsas.

At melius multo Simplicius intellectus inquit semper est verus, quando scilicet perseipsum est neque cum vilioribus vitis & cognitionibus complicatur. Nam si intellectum solum rectamque rationem duces sequamur agentes, rectè semper operabimur neque peccabimus vnquam. Exemplo sit conti-

Intellectus, phantasia, & appetitus disti- ferentia in motu

nens, qui seuiente licet perturbatione appetitūq. irrationali stimulante ad malum & phantasia iucundum proponente obiectum, rectè nihilominus agit, quia rationem & intellectum sequitur, non phantasiam vel appetitum. At appetitus & phantasia, tum recta sunt, tum non recta: quia & rationi conformia esse possunt illiq. obsecudare & aduersari atq. ad pugnantia trahere. Rectè rationi & intellectui sese accommodant in temperante, pugnant in continente & incontinente: quorum tamen ille operatur rectè, quo phantasiam & appetitum vincens rationem audit, hic non rectè, quod ratione contempta phantasiam & appetitum sequitur.

Ceterum hanc differentiam quasi ex superioribus deducendo adfert Philosophus. Sic enim habet (intellectus igitur omnis rectus est. Ex eo namq. deducitur, quod intellectus absq. irrationali appetitu proprium habet appetitum voluntatem, per quam moueat: ideo per se consideratus rectus est. Alter autem appetitus præter rationem mouete potest, & idcirco non rectè mouere.

Cōtinēs & incontinēs.

TEXTVS.

Διὸ αἰεὶ ἴσθ' ἅπαντες. τὸ ὁρεκτικὸν ἀλλὰ τὸ εὖ καὶ τὸ ἀγαθόν, ἢ τὸ φανερὸν ἀγαθόν.

Quapropter semper quidem mouet id, quod appetitur: at hoc vel bonum est, vel apparet bonum.

COMMENTARIVS CLIIII.

Cum appetitum principium motus causam esse posuerit, dimisso intellectu, de quo in antecedenti tota disputatione satis fuerat dictum, de appetitu quædam subiungit. Ac primū illud est, quod facultati cuiq. præcipuum est, quodq. tota illius natura constituitur & vero separatur a ceteris. Nempe quod sit obiectum exponit, quod appetendo animalia moueat appetitus. Quocirca alterum quoque & quidem potius, hoc dixeris appetitus ab intellectu & facultatibus ceteris discrimen esse. Quoniam & tertium verbis illius (quapropter semper mouet id, quod appetitur) contineri videtur, estq. eiusmodi. Intellectus non semper mouet, vt in incontinente, phantasia item non semper, vt in continente, qui agit intellectu: at appetitus semper mouet, rationalis quidem continentem, irrationalis autem incontinentem. Namq. ὁρεκτικὸν significat id, quod actu appetitur, quod, vt in superiori adnotauimus commentatio, & appetendum est & appetens. Ità sensum ab appetitu ad rem appetendam, à facultate ad obiectum, transit.

Quod vero appetitur & est appetitus obiectum, semper est bonum, si non verum, certè apparet bonum. Cum enim appetitus propensionem & inclinationem in aliquid significet, propensio omnis & inclinatio est ad bonum, quod Deus & natura appetitu illo & inclinatione cuiq. natura quærunt. Quare si alius sit oppositus actus auersionis à malo, is minus est legitimus appetitus, qui velut inclinatio quædã est. Nec adest vnquam, nisi antecedente alio actu prosecutionis boni: siquidem nunquam nolimus quidpiam, nisi quod aliquid aliud velimus. Quapropter propriū & per se appetitus obiectum est bonū: malum autem ex accidenti, & velut id, à quo declinet vt bono potiri possit. Hinc voces illæ in ipso

Appetitus ab intellectu & phantasia differtentia.

Appetitus obiectus, bonum, malum ex actu dicitur.

moralium initio & lib. 3. cap. 2. Bonum appetunt omnia; omnisq. electio est boni. Et alibi sepe, finem habere ratione boni & optimi. Ergo si qui sponte mortem eligant nefariaq. sibi ipsi inferant manus; ut nimirum magnum aliquid fugiant malum, id faciunt; morsque illis ceu minus malum & ideo sub specie boni proponitur; quia minus malum comparatione maioris videtur bonum. Estq. error in intellectu, qui mortem ut bonam apprehendit voluntatiq. proponit. Idem est eorum error, qui scientes peccant; presentis scilicet delectationis apprehensa ac iudicate bona specie vana decepti. Aut si malitia subsit, in eo apparet bonum, ut suum voluntas expleat appetitum suaque libertate fruatur.

Deus tamen, si ut Deus est consideretur, haberi odio non potest. Irrationalia namq. dum necessario naturę impulsu tendunt in suū finem, & bonū in Deū tendunt & Deum querunt, qui finem illum atque impulsū in finem eis inferunt. Rationalia vero et si libertate fruuntur; beata tamen mentes clarę illum ut summum bonum intuentur; isque tantoperę intellectu & voluntati earum coniunctus est, ut ad summum planē amorem determinantur. Maior est in illis difficultas, qui ad sempiternos damnati cruciatus sunt. In ijs sanē est odium Dei: at non in se ut Deus est; cum nulla species in sit mali, quę ad odium pronocet. Sed ratione effectus & pœnę, quę illos punit. Dum enim illum ut cruciatuum auctorem apprehēdunt, summo in illum ut scelerum suorum vltorem pœnarūq. auctorem concitantur. Immō ut eos non punire posset, alia ex parte amari credidit S. Thomas. Quamquam et si eum ut Deus est odio diceretur haberi; nil fortasse mirum esse. Non enim est illis clarę cognitus; cumq. malus sentiat effectus, erroneo iudicio prauoq. affectu in apertum illius odium traduci possunt. Denique dum inter mortales viuens homo peccat, tantum abest ut Deum expresse oderit, ut tacite potius ac lateenter amet & querat: dū aliquid bonū amat & querit: omnia siquidē creata bona summi illius boni participatione existunt. Errat in eo, quod tacite, latenter, & in alio, amat & querit id, quod aperte & in se ipso amare & querere debuisset.

An verō appetere potius possimus non esse, quā malē esse; inter nostros præsertim Theologos disputatur. Negauitq. S. Augustinus in 3. lib. de lib. arbit. cap. 6. & 7. quem sequuti sunt plurimi: hoc vel maxime argumento; quod non esse tollat omne bonū, & ideo totum voluntatis obiectū; malē autē esse includit esse & viuere quod bonū quodpiā est: & cum is, qui non sit, melius habere nequeat, quā si male sit; omnino nō videtur id potius, quā hoc, eligi posse. Probabilius tamen affirmasse dixerim S. Thomam & alios non paucos, inter quos fuit S. Hieronymus in Commentarijs Jeremię cap. 20. dum illa interpretatur verba; Maledicta dies; in qua natus sum. Melius est, inquit, non esse, quā male esse. Et inter Philosopho Proclus in primum Platonis Alcibiadem: Ipsum male esse deterius iudicandum, quā non esse. Fauentq. illa Christi Seruatoris verba de homine ad sempiternos cruciatus damnando, Matt. 26. Melius ei erat, si natus nō fuisset homo ille: & illa magis generalia Apoc. c. 9. Querent homines mortem & non inuenient eam; & desiderabunt mori & fugiet ab eis mors. Nam et si appetitio hac in damnatis non recta dici queat, dum

diuina aduersatur voluntati, que illos cruciatus vult; si tamen extrinseca cuncta semoueas, expectandum potius appetitione recta dixeris omnino non esse, malum duobus modis altero maius dicitur: aut in intensiōe, quod maiori bono pluribusve bonis perueniat: aut quod extensiōe sit diuturnius, non esse creata malum finitum est intensiōe, quia bono finito priuat. At sempiterna pœna duratione est infinita, & quidem sensu acerbissima damnatio, grauissima, quo damnati visione Dei priuantur. Quę cum liceat appetitu recto appetere min. malum, ut vires maius; atq. in hoc ipso appetitus querat bonum, quia minus malum comparatione querat boni speciem habet boni atq. ut bonum appetitur: recte profertur appetitur non esse potius, quā tam male esse. Cum præsertim bonum non moueat appetitum, nisi ut delectat; illudq. bonum, nempe esse, nullo modo delectat; quā potius famulatur pœnæ miseriarūq. omnium fundamentum est. Appetibile igitur non est, neq. appetitum mouere potest; optabiliusque videtur eo carere; quā cum tanta pœna habere. Nam & quilibet eligit potius non bibere, quā amatam bibere, aut incontinēda potum subire plurima. Nec desunt qui mortalem viuētes vitam expetunt mortem seque ipsos interimunt, ut ab ignominia grauique calumitate liberentur quę tamen minima est ac penemulla, si cum acerbissimis illis atque exliminationem omnem superantibus cruciatibus comparatur. Non paucos etiam fuisse & esse scimus, qui graui corporis dolore oppressi peroptent mortē, & in tormentis mentiantur seque mortis faciant reos, ut à tormentorum dolore liberentur. Igitur non esse, tum quia priuat malo, tum quia comparatione alterius est minus malum, speciem habet boni. Duplexque potest esse appetitio, altera desiderij & inclinationis altera fugę & auersionis, dum appetentes bonum fugimus malum: illa est boni, hæc minus mali.

Ita vera quoque fuerit propositio Philosophi, Quod appetitur, aut esse bonum aut apparens bonum. Quippe mors & non esse velut apparens bonum appetitur ab eo, qui à presenti dolore, cruciatu, vel ignominia, liberari vult. Sed & aliter verum bonum & apparens bonum interpretabens dicit, quemadmodum Themistius quoque, Simplicius ac Philoponus, interpretati sunt. Verum inquam bonum appellari bonum honestum, quod ratione recta & intellectu appetitur, siue à continente, siue à temperante, aut omnino ab homine virtute preedito atq. ex virtute agēte: bonum autem apparet, iucundum & sitaue bonum, quod incontinentem trahit. Ideoq. duplex hoc bonum nominatum fuisse, quia duplex distinctus fuerat appetitus, rationalis voluntas, & irrationalis concupiscentia. Ad alterum enim spectat verum & honestum bonum, ad alterum apparens & iucundum. Rationalem autem voluntatem dicimus eam, quę rectam rationem sequitur. Nam si à concupiscentia fuerit seducta, rationemq. non rectam sequatur, apparens quoque & non rectum appetit bonum. Sed huiusmodi motus à concupiscentia potius fuerit, quā à voluntate, quia non est à voluntate per se agente, sed à comite concupiscentia seducta.

TEXTVS.

Οὐ πῶς δὲ ἀλλὰ τὸ ἀγαθὸν ἀγαθὸν ἀγαθὸν δὲ βῆν ἀγαθὸν, τὸ ἐστὶν ἀγαθὸν ἢ ἀγαθὸν ἢ ἀγαθὸν.

Non quoduis autem, sed agendum bonum. Agendum verò, quod contingit & aliter se habere.

COMMENTARIUS CLV.

Summo prorsus compendio multa complexus Philosophus est, ac penè dixerim omnia, quæcumque ad appetitum pertinent. Primum enim duplicem eum distinxit, rationalem & irracionalem. Deinde ab intellectu diuersum esse ostendit. Tum generale & vniuersum ipsius obiectum posuit esse bonum. Mox pro appetituum diuersitate boni quoque diuisionem fecit in bonum verum & bonum apprens. Nunc postremò aliam boni diuisionem subiungit, in bonum agendum, & non agendum: & rursum aliam in bonum contingens, & necessarium: vt quodnam sit bonum agendum intelligatur, tandè que ex his omnib. appetitus obiectum colligas esse bonum agendum, siue verum, siue apprens illud sit. Bonum igitur est appetitus obiectum: at non quoduis bonum, sed illud solum, quod in actione versetur. Hoc est superius dictis de theoretico & practico intellectuque in theoreticum & practicum diuisione, manifestum est. Theoreticus namque suum quoque habet bonum, sed quod in sola contemplatione versetur, nempe verum veritatisque cognitionem. Practicus foras prodit, bonumque quærit in actione, atque illuc omnem suam cognitionem dirigit. Appetitus practici, non theoretici, intellectus est comes: illud igitur & ipse bonum quærit, quod in actione versatur, quodque agendo consequendo consequi licet. Et quoniam actiones circa res particulares sunt, & verò incertæ, multiplices, ac variæ; & tum ipsæ fieri possunt & non fieri, multiplici, ac vario modo fieri, tum impediri aliundè suoque frustrari sine: propterea bonum, quod in actione consistit, contingens est & minus certum, euenirique & non euenire potest. Quod in contemplatione quæritur, vniuersale ac necessarium est: ideòque vniuersaliū, necessarium, & quæ aliter esse nequeunt, scientiæ dicuntur esse.

Ceterum cum praxis liberam voluntatis actionem significet, aut etiam careratum facultatum vt voluntate reguntur illiusque libertatis participes sunt, consequens est, vt practicum item, & agendum bonum in agenti duntaxat libero proprie nominetur, dum intellectu & voluntate agit. Minus tamen proprie & secundaria ratione, tum ad eundem hominem extenditur, dum phantasia & appetitu irrationali viuunt: tum & ad bestias, quæ non alia, quàm hæc, suarum habent operationum principia: quod & phantasia velut intellectus quidam est, & irracionalis appetitus quandam habet in appetendo libertatis imaginem. Neque enim de hominis tantum liberòque prorsus motu hoc loco differitur, sed de omni prorsus animalium cunctorum motu. Quare aut agendum bonum ampliori significatione nominauit Philosophus, vt ait Simpli-

A cius: aut de homine loquutus est, ex quo de cæteris idem proportione quadam intelligerentur.

Themistius tamen & Philoponus verba illa (ὅδ δὲ πῶς) secus omnino intellexerunt: nec parum accommodatè: vt summum, diuinum, & vniuersum bonum significarent. Nam etsi animalia cuncta dum mouentur, bonum querant; non vniuersum tamen illud, sed particulare aliquod quæruunt, quod motu suo consequi valeant. Bonumque vniuersè spectatum procliuitate naturæ omnibus insita actionibus cunctis propositum est: diuinum iterum bonum oculis stimulis natura omnis quærit. Ac particularis actionis ac motus, particulare etiam oportet esse causam: quæ sanè particulare quodpiam bonum fuerit.

Deum omnia quæruunt

TEXTVS.

Ὁτι μὲν οὖν ἡ βία αὐτῆς διδάσκει καὶ τῆς ψυχῆς, ἢ καὶ μὲν οὖν ὁρεῖται, φασὶν. Ὡς δὲ διαίρεσι παρὰ μέρη τῆς ψυχῆς, καὶ κατὰ τὰς διαιρέσεις διαίρεσις ἢ χωρίσι, συμπενομαζιέται. Ἐπειδὴ οὖν, αἰσθητικὸν, νοητικὸν, βουλευτικὸν, ἐπιθυμητικὸν. ταῦτα τὰς πλείους διαίρεσις εἰσὶν ἀλλήλων, ἢ τὸ ἐπιθυμητικὸν ἢ νοητικὸν.

Quod itaque huiusmodi anima facultas mouet, quæ appetitus dicitur, manifestum. Diuisentibus autem anima partes, si per facultates diuidant & separent, per multa sunt, nutriens, sentiens, intelligens, deliberans, & verò appetens. Ha namque magis inter se differunt, quàm concupiscentis & irascens.

Text. 52

COMMENTARIUS CLVI.

Vniuersam hæctenus habitam de motrice animalium causa disputationem concludit, eamque conficit facultatem eam esse, quam appetitum dicimus. Etsi enim intellectus quoque vel phantasiæ adit opera, præcipua tamen ac princeps vis est appetitus. Quare quod nunc affirmatur, de primaria ac principe causa dicitur. Hinc verò Platonem arguit minus sapienter animam in tres partes diuidentem, vt in superioribus dictum est, in rationem, cupiditatem, & iram: Duobus enim modis peccauit. Primum quod non in partes loco distitas, sed in facultates oportuisset diuidere: impartibilis quippe per se anima est; at pluribus facultatibus ceu virtutibus ratione potius, quàm loco, distinctis prædita. Deinde quod plures omnino sint facultates, quàm quæ ab eo commemoratæ fuerunt. Genera verò, non species facultatum nominat; dum nutrientem, sentientem, intelligentem, deliberantem, & appetentem nominat. Nam & nutriens seu vegetans specie differentes plures continet facultates; & sentiens plures sensus, & appetens rationalem appetitum & irracionalem.

Facultates tam generatæ quæ

Sed difficultatem fortasse pariat, quod in tex. 18. lib. 2. quatuor duntaxat generib. facultatum vniuersam animam definitam esse docuit, vegetante, sentiente, intelligente, mouente, nunc verò quinque commemorat facilis responsio est. Primum autem obseruabis, quod eo loco διαίρεσις appellatur, nunc νοητικὸν dicit, vt dicitur: tam intelligas (quod sæpe adnotauimus) intelligentè esse virtutè atque ad intellectum pertinere: Deinde mouente prætermisso appetens nominari, quod appetitum motus principium & causam fecerat, nuncque de appetitu erat quæstio,

Diamea quid.

ZZZZ

Præter hæc autem addit βουλευτικόν, non tanquam facultatis genus, sed aut βουλευτικόν potius, hoc est volens, aut voluntarium legendum est, tanquam species πῶς ὀρεκτικόν; siquidem in tex. σο. βούλησιν dixerat ὀρεξίην quandam esse; hæcque in βούλησιν & ἐπιθυμίαι, in voluntatem & concupiscentiam diuiserat. Proptereaque nunc βουλευτικόν ait, ἐπὶ ὀρεκτικόν, hoc est volens atque adeo vniuersum appetentis genus. Aut si βουλευτικόν, hoc est deliberans, omnino legendum sit; νοητικόν, & βουλευτικόν respondebit Simplicius tanquam species vnius generis fuisse posita: & alterum quidem significare theoreticum intellectum, alterum verò intellectum practicum: hic enim est, qui de agendis vel non agendis deliberat. Quod præter νοητικόν addere libuit Philosopho, vt intellectus is indicaretur, qui simul cum appetitu principium exiit motus.

Porrò has omnes facultates in anima distinguendas Platoni fuisse, hoc argumento confirmat. Quoniam eas manifestum est magis inter se differre, quam differant concupiscens & irascens appetitus, quos ille non ratione modò, sed & loco distinxit; dum in iecore alterum, alterum in corde posuit. Namque horum vterque & verò etiam rationalis voluntas sub appetitu communi genere continentur: nutriens autem, sentiens, intelligens, appetensque commune genus nullum agnoscunt. Sed de hoc in superioribus quoque dictum est.

Quod verò addit Philoponus Platonem argui, quòd animam per corporis partes diuidens vnam non posset mouentem causam in animalibus ponere, sed omnino futuræ essent plures: quomodo enim commune vnum quodpiam inueniatur in eis? (quidem non video quemadmodum Philosophi verbis consentiat, aut ex illis colligi possit.) Nam si illud (permulta sint) plures interpretetis fore mouentes causas; certè illa, quæ sequitur, enumeratio mouentium causarum non est: cum nutriens, & intelligens, antea probauerit mouentes causas non esse. Et postrema illa verba (hæc namque magis inter se differunt) aperte demonstrant de facultatum differentia, non de mouentium numero sermonem esse.

TEXTVS.

Ἐπι δὲ αἱ ὀρεξίαι ἰσότητι ἐκαστὰς ἀμύληται. ὅτι οὐκ ἔστι βίαιαι, ὅταν ὁ λογὸς ἢ ἡ ἐπιθυμία ἐκαστὰς ἀντὶ. γίνονται δὲ ὡς τὸ ζῆλον αἰσθητικὸν ἐχούσιν ὁ μὲν τὸν νοῦν ἔχει πρὸς μάλιστ' αἰσθητικὴν καὶ κληθεὶς ἡ ἐπιθυμία, ἔχει τὸ νόον. φαίνεται τὸν πρὸς ἡδὴ καὶ πρὸς ἀπολαύσεως ἢ τὸν ἀγαθὸν ἀπολαύσεως, ἔχει τὸ μὴ ὀρεξίαι τὸ μέλλον.

Text. 53. Quoniam verò appetitiones sunt contraria inter se (hoc autem euenit, ubi ratio & concupiscentia contraria fuerint, sit autem in temporis sensum habentibus. Et enim intellectus propter futurum retrahere iubet, concupiscentia verò propter id, quod iam est præsens. Videtur enim præsens suane & simpliciter suauis, bonumque simpliciter, quod non videatur futurum.)

COMMENTARIVS CLVII.

Hæc ad ea, quæ de continente & incontinente in superioribus dixit, referunt Simplicius &

A S. Thomas. In illis enim pugna hæc cernitur duplicis appetitus, rationalis & irrationalis, de qua tunc fermo. Sed Simplicius absolute definitur putat quoniam admodum in illis res habeat contrariis, appetitibus agitentur. S. autem Thomas obiectionem diluit, quando mouere appetitum dicebatur, quoniam continens appetitum non sequitur.

Fortasse non fuerit opus tam altè repetere. Nunc Themistius proxima respicit, quibus primam ac præcipuum disputationis caput continetur, an sit vnum principium motus in animalibus: vnum enim esse primarium definiuit, appetitum. Cùmque appetitum duplicem distinxisset, rationale & irrationalem; & verò triplicem, voluntatem, concupiscentiam, & iram: nutare proposito videbatur, quoniam vnum primum mouens asserabatur. Propterea docendum fuit quomodo cum appetitum multitudine mouentis consistat vnitas. Verum vnica hæc propositionem accipit, qua dubitationem confirmare videtur: appetitiones hæc iniquis non solum plures ac diuersas, sed & contrarias ac pugnantiores esse: aut plures & diuersas esse probans, quia contrariæ sunt & pugnantiores. Hoc vt planius explicet, abruptim sermonem illud, & velut parentem digrediendo facit; explicationem tantisper in sequentem orationem differens. Nam sit per se, vt dum ad iucundum quidpiam prosequendum concupiscentia trahit, aut ad iniuriam vitandam stimulat ira; secus suadente ratione voluntas retrahat. Si concupiscentia abducatur aut ira, incontinens appellaberis, continens, si rationem audiueris. Hoc veluti exemplo res illustratur. Vnde conficitur eiusmodi appetitum pugnantem atque conflictum non in omnibus animalibus reperiri, sed in ijs duntaxat, quæ hæc duplici parte constant, sensu & ratione, concupiscentia & voluntate, irrationali appetitu & rationali: hoc est in solo homine, qui solus præter sensum atque irrationalem appetitum eum cæteris communem, intellectum quoque ratione, ac voluntate viuunt.

At alijs verbis Philosophus vitur, quibus hæc ratiocinatio contineri videtur. In quibus contrariæ sunt appetitiones, in his est temporis sensus: temporis verò sensus in ijs est, in quibus præter cupiditatem intellectus inest: contrariæ igitur appetitiones in ijs duntaxat sunt, in quibus est intellectus & ratio. Quam ratiocinationem Philoponus auidam ac temerariam periculique plenam esse pronuntiauit. Duas enim omnino graues difficultates continet. Alteram, an solus homo temporis habeat sensum. Alteram, num is solus contrariis appetitionibus moueatur. Sanè non solum hominem, sed bestias quoque plerique intellectus & ratione carentes temporis sensum habere, argumento videntur esse grues, quæ hyemem præsentientes ad calidiora transvolant loca; & iæmicæ fruges æstate condentes hyberno tempore alimentum futuras. Quin etiam Aristotelem ipsum video ad initium libri de memoria & reminiscentia hoc memoriam à sensu & spe distinxisset, quòd sensus præsentis sit, spes futuri, memoria præteriti: animaliaque omnia pronuntiasse, quæcumque sentiunt tempus, memoria quoque prædita esse. Ac rursum non esse memoriam vim intelligentis partis, argumento illo demonstrasse, quia multis inest aliorum animalium, quibus intellectus non inest. Ex quibus fuerit manifestum,

nifestum, animalia complura rationis expertia temporis sensum habere. Vrger tamen argumentum illud eiusdem Philosophi in tex. 13. lib. 4. Physic. quod cum tempus sit numerus motus secundum prius & posterius, solus intellectus numerare potest, ideo que solus cognoscere tempus. Quo superatuni omnino Alexandrum fuisse scribit Themistius, planeque tempus credidisse ab homine creati, quasi nihil aliud esset tempus, quam nuda hominis cogitatio, meraque supputatio, cui nulla in re soliditas responderet. Verum si tempus durationem motus significat, ea sane non minus, quam motus, in rebus ipsis existit; neque animæ cogitatione aut supputatione opus habet, sicut nec cæteræ durationis species, æternitas, & ævum. Quod si continuatæ successionis motus distinguenda sunt & numeranda priora ac posteriores sibi succedentes partes; id nimirum animæ & intellectus solius est opus. Et ut numerus permanentium rerum nullo modo pendat ab intellectu; pendet tamen is, qui in successione consideratur. Quoniam cum numerus plures postulet simul collectas unitates, successionis nihil est præfens, nisi impartibile quiddam; atque ut illius partes simul accipiatur, opus est intellectu, qui præteritum ac futurum velut præsentia & simul existentia statuat. Mitto plura, quæ de hac re in quarto Physic. libro disputantur. Themistius quidem certè Alexandri sententiam neque veram esse scripsit, neque ijs consentaneam, quæ Aristoteles eo loco prodidit. Nam si possit motus absq; intellectu esse, tempus quoque subiunxit esse; quoniam motus successio priora & posteriores habet numerabiles partes: quæ tamen actu, non nisi ab intellectu numerantur.

Itaque de bestis duo profusus affirmat Philoponus. Primum, eas non apprehendere tempus, sed ea, quæ sunt in tempore, ut frigus aut calorem, illud hyemis, hunc æstatis. In corporeum enim quiddam est tempus, quod sensum & phantasiam, quæ corporea tantum & sensilia comprehendunt, effugiat. Homo autem intellectu præditus tempus quoque ipsam intelligit, dum horas & dies numerat, menses & annos. Deinde bestias indeterminatum atque indefinitum tempus persentiscere; ut hyemem vel æstatem: determinatum ac definitum, velut dies & horas, à solo cognosci homine. Nunc verò solum hominem dici temporis habere sensum quoniam illud appellare Philosophus confuevit tempus, quod determinatum est & definitum. Ut cum in lib. de interpretatione dixit; Hæc quidem simpliciter, illa verò in tempore. Simpliciter enim indeterminatum tempus dixit, in tempore autem, determinatum ac definitum. Ego tamen hoc loco non audio solum hominem affirmari temporis sensum habere: sed (sit autem in temporis sensum habentibus) Quod solius hominis non esse, sed aliorum complurium, indicatus exponit locus libri de memoria & reminiscencia. Quare Themistius. Hæc, inquit, appetitionum pugna in ijs animalibus fieri solet, quæ temporis sensum habent: atque in homine potissimum. Is enim per se tempus sentit, cætera ex accidenti, ut potè quæ non ipsius temporis sensum proprie habeant, sed motionis & passionis eius, quam tempore aliquo acceperunt. Quod Simplicius quoque tradidit.

Est & aliud discrimen, quod maxime nunc spectauit Philosophus. Quod etsi animantes per multa præteriti sensum habeant, dum passionis

præteritæ recordantur; futurum tamen non præuident, quoniam affici non possunt aut pati ab ijs, quæ futura sunt: siquidem hæc nondum existunt, sensusque rerum duntaxat existentium est. Nam si formicam dixeris futurè hyemalimta reponere; ea non futurum præuidet, sed aut præteritæ potius passionis recordatur, aut solo naturæ instinctu agitur. Homo & præteritorum recordatur & futura prospicit.

Quamquam etsi de homine solo interpretæris illud (sit autem in temporis sensum habentibus) propterea de illo potissimum fuerit dictum, quod manifestior in illo sit & illustrior contrariarum appetitionum pugna, propter rationis & concupiscentiæ coniunctionem. Quæ tamen quoquo modo in cæteris item reperitur. Si namque homo contrariis idcirco motibus agitur, quia temporis sensum habet, cætera quoque animantes, quæ temporis sensum habent, agitabuntur.

Ita soluitur altera Philoponi dubitatio. Etenim Leo gregem aggressus & percussus, in gregem rursum incurrens aggredi cupit, sed retinetur, ne percutiatur. Atque huiusmodi plurima in bestiis sæpè cœrauntur, quæ dum à præteriti iucundo trahuntur ad concupiscendum, & præteritæ plagæ vel passionis imaginatione ac recordatione retinentur ne prosequantur, contrariis nimirum & ipsa mouentur motibus. Illustrior est in homine pugna, qui duplicem habet appetitum, irrationalem & rationalem, ac propter rationis consortium, tum præteriti recordatur, tum futurum prospicit. Dùmque febri affligatus frigida potum concupiscit, tum præteriti; tum futuri damni consideratione retinetur. Concupiscentia præsentem spectans delectatione titillat, quod futurum non præuidens, sed in re præsentis quam sentit, tanquam sine, insitens, tum suauem, tum simpliciter bonam æstimat. Ratio futurum prospiciens sensui quidem suauem, sed magno perè damnosam intelligit, atque à prosequendo retinet. Suaue namque & simpliciter bonum distinguit; quodque sensui suauè est, non omne bonum esse diiudicat, & futurum tanquam magis bonum amplectitur. Quod tertium fuerit inter rationalem & irrationalem vitam discrimen. Contrariis igitur motibus moueri tum rationalibus conuenit tum irrationabilibus: sed moueri secundum præsens & futurum rationalibus solis, secundum præsens & præteritum, irrationabilibus quoque. Ex præteriti enim imaginatione seu memoria futurum quasi præsens cauent. Nec tamen præteritum, quia præteritum est, cognoscunt; sed qua patiuntur ab illo passionisq; memoria remanet. Quippe dum præsentem quoque rem cognoscunt, non præsens cognoscunt tempus; sed à re præsentis mouentur, eamque in præsentis tempore afficiente sentiunt.

DIGRESSIO XLI.

De appetitus sentientis perturbationibus.

Sive spectes ea, quæ de appetitu, siue quæ de continente & incontinente, siue demum quæ proximè de contrariis ac pugnantibus appetitionibus, à philosopho dicta sunt, perinde aliquid à me hoc loco de sentientis animæ perturbationibus desiderabis.

ZZZZ ij